DE FLUXUS MENSTRUI NATURA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PHYSIOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE V. M. AUGUSTI A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS WIEDEMANN
NUMBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
H. GAETTENS, med. et chir. Dr.
H. SCHWABE, med. et chir. Dr.
W. RUNGE, med. et chir. Cand.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

Collectis atque inter se collatis variis rationibus et sententiis, quae de fluxus menstrui natura inde ab aetate Hippocratica ad novissimum usque tempus a viris celeberrimis propositae sunt: omnium omnino placita in tres classes commode dividi posse mihi videntur, quas, priusquam de hujus phaenomeni natura rationem exponere instituam, breviter indicare licet. Sunt primum, qui menstruationem pro beneficio naturae conservatricis habeant, cujus ope nescio quas partes nocivas ex corpore eliminare tendat, et ipsum fluidum menstruum pro materia impura et mere excrementitia; sunt alii deinde, qui menstruationis finem ad fetus usum referant, alii denique, qui alios fines ad generationis negotium spectantes substituant.

Haud dubito, quin queat, qui fluxus menstrui naturam indagare diligenter studet, fore sperare, ut veritati maxime appropinquet, si fon-

tem, causas, finem, usum hujus secretionis accurate consideret.

Itaque hanc secuturus viam primo loco perlustrabo mensium fontem, de quo medici alii alio modo disseruerunt.

Altera parte multae agitatae sunt controversiae de loco in universum, ubi sanguis menstruus secernatur, altera de vasis, unde ejus secretio fiat.

Fuerunt enim, qui sanguinem menstruum e vagina profluere censerent; alii hoc negarunt, illum sanguinem rati exsudari ex utero vel ex utroque cavo.

Qui e vagina fluxum menstruum provenire judicant, inter quos Vieussenium et Bohnium nominasse sufficiat, ii suam sententiam approbare conantur exemplis mulierum prolatis, quarum menstruatio per quatuor vel plures graviditatis menses perduravit (1), atque aliarum, quibus contigerit, ut tantummodo durante gravi-

---

(1) Exempla hujus rei afferunt Hagedorn Act. N. C. Cent. I. Obs. 14. Schurigius Parthen.

ditate et lactatione menstrua fluerent, dum antehac plane desiderarentur (1). Hujusmodi tamen exempla ad statum quendam morbosum vel anomalum certe referenda mihi videntur eodem jure, quo exempla mulierum, quae utero carentes vel morbis vitiisque hujus organi affectae fluxum menstruum ex variis corporis partibus quasi vicarium effudisse traduntur, velut ex oculis, naribus, auribus, ore, labiis pudendarum, mammis (2), ventriculo, digitis manuum pedumque (3), umbilico, renibus, ano, ulceribus.

Facile autem fieri potest, ut vagina, et vicinitate et multis vasorum nervorumque anastomosibus cum utero arcte conjuncta, hujus munere interdum fungatur, quam ob rem Hallerum sequor, qui menses, utero impervio vel morboso, e vagina emitti censet, ita ut haec partes quasi uteri ipsius suscipere videatur (4).

---

(1) Hippocrat. Aphorism. sect. 5. Op. Volum. III, p, 745.

(2) Stalpart v. d. Wiel, neue Sammlung medicin. Wahrnehmungen B. I, p. 6.

(3) Haller I, c. 1. 157. ab Heer observ. 22.

(4) Element. physiol. I. V. libr. 28.

Praeterea, qui menstruationem pro secretione vaginali habent, internam uteri virginalis superficiem finibus arctioribus circumscriptam esse contendunt, quam quae menstruum fluxum efficere queat. Parietes vero uteri, quod infra memorabimus, mensibus fluentibus turgescunt et emolliuntur, ita ut in utero insit satis spatii ad sanguinem recipiendum, quod ceteroquin ne requiritur quidem, quum sanguis, sicuti guttatim secernitur, eodem modo emitti solet.

Quod deinde pertinet ad rationem virorum Cel. Mauriceau, Fr. Hoffmann, de Haen, Sprengel (1), qui tam ex vaginae quam ex uteri cavo fluxum menstruum repetere volunt: iis nequimus assentiri, quia, ut jam supra dictum, sanguinolenta vaginae secretio revocanda est ad illos status praeternaturales, ubi sanguinis secretio, utero morbis vel vitiis affecto, ex insolito loco observatur, cujus rei ab auctoribus multis multa exempla tradita sunt (2).

---

(1) Instit. physiol. Tom. II. l. 3. c. 2. §. 518. p. 544.

(2) Conf. Comment. Boerh. T. V. P. II. p. 83 et 6 in notis ad p. 91.

Secundum tertiam denique sententiam, cui Haller, Bertholdus et fere omnes nostrae aetatis medici adstipulantur, et quae mihimet ipsi quoque longe verissima esse videtur, fluxus menstruus ex uterino cavo eliminatur.

Cujus rationis veritas non modo anatomia, sed etiam observationibus experimentisque physiologicis et pathologicis affirmatur. Sic sectio anatomica mulierum mensibus fluentibus defunctarum internam uteri superficiem docuit fluido sanguinolento obtectam, turgidam, villosam; tum in nosocomio Berolinensi, cui Ill. Kluge praeest, saepius observavi speculi ope vaginalis apud puellas, quibus modo menses fluebant, sanguinem ex uteri orificio stillantem; porro materiam aliquam fluidam, e. g. hydrargyrum vivum in vasa uterina injectum, ex istis villis provenire et in uteri cavum emitti Osiander (1) animadvertit. Optimum verum et certissimum documentum, unde patet, ipso ex utero manare sanguinem men-

---

(1) Osiand. Annal. der Entbindungskunde zu Göttingen.

struum, praebet pathologia; namque utero vel inflammato, vel exstirpato (1), vel scirrhoso, menstruatio cessat; deinde haud raro reperitur uterus sanguine impletus, si adest atresia vaginae vel orificii uteri vel hymenis occlusio; denique in uteri inversi prolapsu manifesto conspici posse menstrui fluxus tempore maculas roseas cinereasve, e quibus digito pressis secretum sanguiolentum profluat, testantur Vesalinus (2), Rousset (3), Haller (4), Littre (5), Winslow (6), multi alii.

His ex causis modo adumbratis uterum mihi persuasum est, menstrui fluxus esse fontem, tantumque restat, ut investigare studeamus hujus secreti originem, quam alii ex vasis arteriosis, alii ex venosis, alii neque ex his neque ex illis ducere volunt.

---

(1) Wrisberg, de uteri mox post part. nat. resect. non lethal. Gött. 1787. pag. 21.

(2) De hum. corp. fabric. Lib. V. c. 15.

(3) Traité nouveeu de l'Hysterotomotocie ou enfantement cesarien. Paris 1591. Sect. 4. P. 4. p. 133.

(4) In fasciculo II. icon. anat.

(5) Histoire de l'Académie royale des sciences. 1720.

(6) Traité du bas ventre p. 59.

Qui in arteriis menstrui fluxus originem ponunt, ut Haller, Sprengel, Boerhave, alii, quorum sententiae libenter accedo, his pluribus argumentis iisque veris et experientia probatis uti licet, quam qui ceteras sequuntur rationes. Taceo jam de eorum sententia, qui ad fetus nutritionem mensium usum redire putant, quum illam infra fusius explanare mihi proposuerim; hoc autem monendum, menstruum fluxum, si illa sententia vera, ex vasis etiam arteriosis oriri, quia omnes corporis partes ideoque, quod vix dubitari potest, embryon, quasi partem ad maternum corpus pertinentem, haurire materiem nutrientem ex vasis arteriarum nos bene cognitum habemus.

Praeterea vero argumenta restant, quibus vera menstruationis origo ex arteriis clare perspicitur.

Novimus scilicet ex aliquoties repetita experientia, fluxum menstruum retentum per arteriae cruralis compressionem restitui posse; (1)

---

(1) Hamilton in Edinb. Vers.

commendatque H. Mercurialis (1) in fluxu mensium immoderato ligaturam partium superiorum, nescio tamen an ductus fida observatione; et in eodem fluxus menstrui excessu, vel in uterinis post solutam placentam haemorrhagiis sanguinem haud raro videmus tanta vi prorumpere, qua ab haemorrhagia venosa vix exspectari possit, cum insuper flexuosum vaginae canalem vim atque vehementiam sanguinis prorumpentis admodum imminuere et frangere ex structura harum partium anatomica certo possimus colligere.

Osiander, Prochaska, Plazzonus, Carus (2), Bayle (3) emissum sanguinem tribuunt venis ea de causa, quod, respecto colore, venoso magis quam arterioso sanguini similis sit, neque uno, ut ita dicam, tenore sed guttatim roret, et praeterea, quod haemorrhoides, lochia et similia sanguinolenta profluvia ex venis oriantur dilatatis.

---

(1) De morb. mulier. Lib. IV, p. 124.
(2) Gynaecolog. Vol. I, p. 95.
(3) Dissert. de sympathia part. corp. animal. p. 28.

Haec vero omnia non magis probabilia mihi videntur quam argumenta, quibus ii, qui fluxum menstruum habent secretionem peculiaris indolis, neque illam ex venis, neque ex arteriis oriundam, e. g. Dr. Schollmeyer, (1) suam sententiam defendere conantur.

Hi menstruum sanguinem primum dicunt sanguini et anterioso et venoso omnino esse dissimilem, ab eoque potissimum differre, quod fibrinae minorem, cruoris vero et aquae majorem contineat copiam, quo fiat, ut coagulandi ei sit tam exigua facultas.

Quamquum quidem negari nequit, sanguinem menstruum multo tardius et difficilius abire in coagulationem, nihilominus tamen concedam, hujus rei causam solam ex minore fibrinae quantitate esse petendam, namque Morgagni (2) testatur, se in utero virginis cujusdam menstruationis tempore defunctae sanguinem menstruum

---

(1) Dissert. de menstruationis natura p. 11.

(2) De sede et caus. morb. per anat. indag. libr. II. p. 307.

invenisse in formam quasi cylindricam redactum uterique cervicem explentem; et ex P. Denmani (1) observationibus colligitur, qui magnam lymphae plasticae copiam inesse sanguini menstruo affirmat. Deinde contendunt, fluxum menstruum vel ipsum enormem et vehementissimum feminam, quae eum patiatur, fere nunquam tantopere, quam haemorrhagias ex vasis sanguiferis debilitare. Quas ob causas lunare tributum arbitrantur secretionem singularis indolis sanguinolentam, quae ex tunica uteri mucosa simili modo secernatur, quo succus gastricus et entericus a ventriculi et intestinorum ejusdem generis membrana. —

Jam cognito menstrui fluxus fonte atque origine, ad disquisitionem causarum accedam, quae menstruationem, eamque certis temporis intervallis interpositis redeuntem provocare videantur. Etiam hac de re tot sunt propemodum, ut

(1) Med. facts and observat. Vol. I. n. 12. Lond. 1791. Similes observationes occurrunt apud alios. Cf. Halleri Elem. physiol. I. c. §. 5.

ita dicam, theoriae, quot a diversis scholis de tota arte medica sunt propositae, quas quidem omnes in duas classes me redigere posse arbitror. Defensores alterius materialem vel potius chemicam, alterius dynamicam causam menstruationi substituunt.

Illam rationem sequuntur nominatim Bayle, Graaf, Santorinus, (1) Democritus, alii (2), rati fermento quodam ex aliqua acrimonia, quae in uteri humoribus gignatur, parato menstruationem effici. Alii (3) ex iis, qui isti theoriae patrocinantur, existimant, illud fermentum certis temporis spatiis interjectis accumulatum in circulationem transire, et sanguinem adaucto calore expandere, eoque modo illam movere secretionem, aliis fermentum statuentibus in quibusdam uteri et vicinarum partium, e. g. tubarum Fallopii, receptaculis (4) colligi, atque inde de-

(1) Halleri Elem. physiol. T. VII. P. II. p. 153.
(2) Apud Aristotel. de Gen. An. Lib. IV. c. 1. aliisque locis.
(3) Regner. de Graaf. de part. muliebr.
(4) Vieussenii nov. vas. c. h. sist. p. 10 et 11 et Verheyen anatom. I.

mum in uterinum cavum emitti, ubi irritatione posita major existat sanguinis affluentia.

Simul docent isto fermento voluptatem sexualem augeri, unde fiat, ut fere semper mensibus fluentibus in muliere desiderium coëundi adauctum inveniri possit.

Quamquam hanc theoriam etiam atque etiam accurate perpendi, tamen non possum, quin eam maxime a vero abesse mihi videri confitear.

Multo magis, quam illa chemica laudanda et probanda mihi videtur theoria dynamica, nixa in experientia et observatione, quibus medici temporis jam vetustissimi edocti, fluxum menstruum retulerunt ad imperium et potentiam, quae exerceantur et Luna et Sole in universam organicam rerum naturam. Eam non antiqui modo temporis viri celeberrimi, uti Hippocrates, Aristoteles, (1) Galenus (2) secuti sunt, sed recentiorum etiam saeculorum medici phy-

---

(1) De Generat. animal. I. 4. c. 2.
(2) De dieb. decret. c. 11.

siologiae peritissimi, ex quibus Walther, (1) Carum, (2) Hoffmann, (3) nominasse sufficiat. Jam nomina, quae sunt catamenia, emmenica, menses, menstrua, fluxus menstruus, tributum lunare, consuetudo menstrua et quae sunt cetera, quibus secretio, de qua agimus, omni tempore significatur, omnia de voce μήν sive mensis derivata, persuadere videntur hanc secretionem pendere de quodam commercio inter lunam et mulieres.

Quamquam equidem non possum non confiteri, nobis leges, ex quibus corpora coelestia cum terra, quam incolimus, connexa sint, in eamque agant, hucusque fere prorsus obscuras esse; attamen hac data occasione ineptum mihi non videtur, nonnulla referre de vi lunari in homines hominumque quosdam status morbosos, quae observatione atque experientia cognita habemus.

---

(1) Physiologie des Menschen. Landshut 1807.
(2) Gynaekologie B. I, p. 93.
(3) De siderum in corp. hum. influxu, med. dissert. inaug. in op. T. V.

Ecquis est, qui de somnambulismo (1) nil unquam fando audiverit? Etsi fortasse praecipue de eminentibus ingenii viribus hujusque acumine altiore eorum, qui in somnambulismo versantur, multa narrentur falsa et ficta, ne dubitari quidem licet, quin in noctivagis sic dictis et lunaticis singularis quaedam animi perturbatio ac saepius vires corporis mirabiliter adauctae observatae sint, quae phaenomena, certo quodam lunae contra terram statu redeunte, iterum iterumque redire solent; cujusmodi mirum exemplum videndi mihi ipsi occasio saepe fit in nosocomio caritatis, cui praeest Cel. Wolff.

Praeterea multos novimus morbos, qui luna crescente vel decrescente aut in pejus, aut in melius mutantur e. g. quaedam strumae species, ephelides, ulcera multa, tumores abdominis quidam, hysteria, epilepsia etc.

Menstruationem vero esse censeo rem il-

---

(1) Lectores benevoli, quaeso, mihi vocem »somnambulismi« non satis latinam quidem usurpaturo veniam dent, quippe quae omnium usu recepta sit.

lum inter lunam et corporis humani nexum optime et certissime indicantem.

Quando enim duo phaenomena uno eodemque typo regi videmus, sicuti lunae decursum et menstruum fluxum, tum logice colligimus, haec phaenomena aut eadem effici causa, aut alterum alterius esse causam. Illa autem communi causa hucusque mihi ignota, lunae decursu effici puto menstruationem.

Fortasse quispiam dixerit, hanc lunarem theoriam esse prorsus falsam et rejiciendam, cum omnes feminae in eadem terrae regione non uno eodemque tempore fluxum patiantur menstruum. Quod minime concedam, objiciens, diversitatibus non zonarum modo, sed etiam tempestatum, valetudinis, vivendi rationum, consuetudinum e. q. s. r. lunarem in singulos homines vim et imperium facile certe, sed ratione adhuc nobis ignota mutari et perturbari posse. Richard Mead (1), nixus in iis, quae Newton de lunae novae plenaeque vi aquam attrahendi pro-

(1) De imper. solis ac lunae p. 150.

posuit, fusius hanc rem tractavit, itemque C. Hartmann (1) multa de commercio dynamico inter omnes naturae res conscripsit lectu dignissima. Praeterea quodammodo huc pertinet Paracelsi ab Hohenheim theoria chemico-astrologica (2). Et jam alteram hujus commentatiunculae partem concludere mihi liceat Ramazzini (3) quodam tam pio quam vero dicto: »sint utique astrorum in haec inferiora influxus, quos velle negare, magna dementia esset, at modus, quo agant, id omnino incomprehensibile est.«

Restat denique, ut ad naturam menstruationis cognoscendam disseram de fluxus menstrui fine et usu, quos hac ultima opusculi parte comprehensos dijudicare mihi proposui. Ne longus existam, diversarum, quae tantum gravioris sunt momenti, hac de re opinionum mentionem faciam, omissis multis et vanis absurdisque, priusquam, quae ipse de fine et usu mensium sentio, exponere inchoabo.

(1) Pathol. gener. §. 652 sqq.
(2) Ibid. §. 51.
(3) Op. II, p. 18.

Sunt, qui mensibus putent carboneum superfluum e mulierum corporibus removeri, quum sanguinis decarbonisatio per pulmones, quos feminae omnino minores habere soleant quam viri, non sufficiat. Sic Burdach, Testa, (1) alii.

Hanc opinionem non possum, quin prorsus reprobem, quum haud raro videamus in morbis functionem hepatis et pulmonum, istorum organorum, quae maxima ex parte ad sanguinis decarbonisationem conferunt, laedentibus adeoque tollentibus, menstruum fluxum nihil cessare, etsi illis jam morbis copia carbonei in sanguine retenti justam multo transgrediatur mensuram.

Deinde ex multorum sententia menstruationis finis spectat ad excretionem materiae impurae et corpori nocivae. Vetustissima hujus opinionis vestigia jam in lege Mosaica (2) repeniuntur, secundum quam feminae menses modo patientes pro impuris, per septem dies, atque

(1) Bemerkungen über periodische Veränderungen und Erscheinungen; Leipzig 1790.

(2) Michaelis, mosaisches Recht T. 4. §. 214. p. 298, T. 5. §. 221. §. 225 — 230.

coitus cum iis hoc tempore commissus valde suspectus habentur. Similia hac de re leguntur in Aristotelis (2) et Plinii (3) scriptis, quamquam ii, menstruationem ad alios quoque spectare fines, opinari videntur.

Neque huic sententiae pluribus permotus rationibus assentiri queo. Namque difficilis est intellectu, nec cum experientiis jamjam notis concilianda, certo demum tempore nec nisi ad certum tempus materiae excrementitiae generatio, quae durante graviditate absque noxa et damno aut ad tenerum fetum defertur, aut in corpore materno retinetur, quod hac periodo aliis excretionibus abundare saltem non compertum habemus. —

Princeps autem, quae sententiam de sanguine menstruo, ut excremento, excitasse excitatamque substinuisse videtur, ratio in morbis latet a mensibus suppressis aut obstructis ut plurimum derivatis; ad quos explicandos materia,

---

(1) De Gen. an. c. 20.
(2) Histor. natur. L. VII. c. 15.

nociva qualitate praedita, minime opus est, quamquam negari nequit, ad diversas morborum facies intelligendas acrimoniis uti, commodissimam esse methodum.

Cum enim retentionem aliorum humorum prorsus innocuorum, qui secundum aut contra naturae leges per tempus aliquod evacuabantur, morbos gravissimos parere posse bene sciamus, ad hoc explicationis arduae asylum confugere nefas, praecipue si aliae rationes in promptu sint. Omnes autem menstruorum retentorum effectus a plethora producuntur, quae primo quidem partialis, nisi ei medeamur, in universalem saltem degenerare potest. Hinc dolorifica vasorum abdominalium distentio, hinc impetus sanguinis in partes debiliores, hinc denique irritatio universi systematis vasculosi justo major; quae omnia pro varia corporis praedispositione diversissimos morborum habitus efficere queunt. Haec a veritate aliena non videbuntur cuiquam perpendenti, immensum aegritudinum, a mensibus suppressis derivatarum, agmen saepenumero ab his non im-

mediate proficisci, sed non raro hos ipsos cum illo effectos esse ab tertia quadam communi causa.

Si autem verum est, fini cujusdam rei summum verisimilitudinis gradum enasci, ubi necessitatem ejus intelligi concessum sit, sane fatendum est, sententiam de catameniis ut vera de purgatione aliqua, hoc carere emolumento. Idonea nimirum ratio latet, cur viri aeque atque universum animalium regnum hac mulierum praerogativa destituti sint.

Tertio loco paucis tantum tangemus eorum sententiam, qui menstrui fluxus finem putant non modo ad excernendam aliquam materiam nocivam spectare, sed etiam ad fetum nutriendum.

Nescio, quomodo ii difficultatem, circa notionem materiae nocivae et fetus nutritionem versantem, quam supra jam tetigimus, evitare possint, nisi ad hypotheses confugiant, qualem Avicenna (1) nobis reliquit, sanguinem menstruum

(1) Can. med. L. III. fen. 21. Fract. 1. p. 921. Venet. 1608.

ex triplici materia conflatum esse statuens, ex alimentali, excrementitia et tertia lactis parationi inserviente; quam indicasse est refutasse.

Ne autem in disquisitiones inutiles vanasque expatiemur, menstruationis finem spectare ad propagationem humanam ponimus, id quod jam probare conabimur.

Organa genitalia, quamquam vitae novae generationi inserviunt, ad individui, cui adhaerent, vitam sustentandam parum tamen aut nihil conferunt; muneribus suis potius non sine detrimento aliquo reliqui corporis perfunguntur. Quae quum ita sint, verisimilius videtur phaenomenon in his partibus obvium finem habere potius ad finem organorum genitalium, quam ad finem reliqui corporis spectantem. Ne longus fiam, lectoribus benevolis indicare mihi liceat libros infra notis nominatos, ubi fusius uberiusque tractatur de hac re gravi (1).

---

(1) Reil, Archiv für die Physiologie. I Heft. § 16. p. 104. sqq.

Niemeyer, dissert. inaugur. Götting. 1796. p. 24. sqq.

His quasi prooemii loco ad argumentationem dictis, ad expositionem accedo ipsorum argumentorum, quibus ostendam, menstruationem inservire propagationi humanae. Necessaria nimirum videtur et ad mulieris conceptionem et ad fetus nutritionem.

Itaque concipiendi facultatem ab hac secretione pendere, argumentis partim ex physiologia, partim ex observatione et experientia haustis illustratur.

Primum menstrua molimina vel ipse fluxus menstruus praecipue adnumeratur pubertatis ineuntis symptomatibus, cujus introitus maturior tardiorve non solum a diversis terrae zonis pendet, sed etiam a constitutione, vitae ratione, indole singulari aut hereditaria, turbata quadam inter corporis animique evolutionem aequilibritate, et quae sunt ceterae causae. Simul quoque mensium cessatio, si secundum naturae leges fit, involutionis initium significat. Quoniam vero tempore tantum inter periodos evolutionis et involutionis interjecto mulieres conci-

piendi facultate gaudent, menstruationem non esse sine influxu in eam facile colligitur.

Haec affirmantur praeterea nota, quae inter menses et foecunditatem intercedit, ratione, qua mulieres mensibus uberioribus gaudentes foecundiores esse soleant. Forsan huc quoque referenda est major in regionibus calidioribus fertilitas, quum in iisdem menses uberius fluere notissimum sit.

Multa quidem huic sententiae sunt opposita, quae tamen ad veritatem ejus tollendam certe non sufficiant. Sic ei nonnulli objiciunt, puellas, quibus nunquam semel fluxerint menses, interdum concepisse.

His nil nisi Steinii sen. (1) verba opponam:

»Juniores autem quasdam, antequam menstruatae sint, concipere, non est, quod miremur, siquidem non adeo stricte requiritur, ut menstrua semel et pluries apparuerint; sed sufficit

(1) Dissert. inaugur. de signorum graviditatis aestimatione. Götting. 1760.

ad concipiendi facultatem, jam adesse dispositionem ad menstrua, uterum esse spongiosum et nisum illum (i. e. molimina mensium) adesse, qui praecedere solet menstrua primum erumpentia; id quod exemplis illarum nimis fertilium, quae vix peracto puerperio, denuo concipiunt durante lactationis stadio, antequam menstrua erumpunt, adeoque in perpetua quasi graviditate versantes hanc excretionem impediunt, illustratur. Inde manifesto elucet, mensium causas una cum moliminibus seu prodromis menstruis maximi ad conceptionem esse momenti, multo minoris fluxum menstruum ipsum, qui quasi crisis appareat illius nisus, quo natura feminam ad concipiendum aptam reddat.

Sunt deinde, qui nostrae sententiae veritatem dubitent, dicentes, multas provectas aetate inveniri mulieres, quae, quamvis iis menstruus fluxus mansisset, concipiendi tamen facultatem amiserint. Hoc quoque minime verum est atque optime refutatur dicto quodam doctissimi et hu-

jus rei peritissimi Mauriceau (1): »Les excrétions sanglants de la matrice ne doivent pas être qualifiées du nom de menstrues après l'âge de cinquante-huit ou soixante ans; car ses sorts d'excrétions sont pour lors symptomatiques, et très-souvent signes avant-coureurs d'ulcères carcinomateux et de la mort, qui les suit.« Idem Naegele (2) testatur atque affirmat.

Tum molimina mensium summam cum incipientis graviditatis signis ostendunt similitudinem, ita ut ipsa sexus organa et externa et interna mensibus fluentibus easdem vel similes saltem mutationes, quas primo graviditatis mense offerant (3).

Porro menstruatione, quod mihi hic commemorare non superfluum esse videtur, apud mulieres coeundi desiderium admodum augetur. Affirmat hoc Niemeyer (4), Nic. Vinette (5), alii multi.

Non minoris momenti sunt ad nostrae sententiae argumentationem quaedam observationes pathologicae. Sic fere cujusvis sterilitatis, nisi ex causis mechanicis suborta sit, mensium retentio symptoma necessarium est (6); et Pott (7) enarrat, fluxum menstruum virginis cujusdam,

---

(1) Aphorism. Sect. III. p. 30.

(2) Erfahrungen und Abhandlungen aus dem Gebiete der Krankheiten des weiblichen Geschlechts. Seite 306.

(3) Hip. d. super foet. Lib. cap. VII.

(4) Dissert. inaugur. pag. 30.

(5) De la Generation de l'homme. Cologne 1696. Part. III. Cap. IV. art. 6. pag. 422.

(6) Niemeyer dissert. inaugur. pag. 45.

(7) Chirurg. Werke — Berlin 1787. B. II. pag. 530.

cui ovaria exstirpata sint, quamvis antehac semper justo tempore apparuerit, post operationem in perpetuum cessavisse. Causa cessationis hoc in casu sine dubio quaerenda est in eo, quod virgo, ovariis exstirpatis, sterilis facta sit, ideoque menstruatio, ille naturae nisus, quo mulieres ad concipiendum aptae fiunt, ei superflua exstiterit. Denique experientia quotidie docet, mulieres brevi post menstruationem facillime concipere, quod ab omnibus omnis temporis medicis confirmatum est, ut vix opus esse mihi videatur, nomina autorum afferri, qui hujus rei veritatem comprobant et comprobaverint.

Haec omnia, quae paucis modo attingere potui, ne opusculum accrescat ad opus, menstruationem necessariam esse ad conceptionem declarant; jam nonnulla addere mihi liceat, unde elucere videatur, eam aliquid conferre ad fetus nutritionem.

Primum ad hujus rei argumentationem permagni est momenti illa notissima observatio, secundum quam inter graviditatem et plerumque etiam inter lactationem menostasis intervenit; unde verisimile fit, sanguinem, qui ex utero non gravido superfluus emittitur, durante graviditate et conformationi et nutritioni fetus inservire. Magna huic sententiae confirmatio enascitur ex diverso embryi statu et incremento in diversa menstruationis conditione. Docemur enim experientia, partus tenellos invalidosque edi, si menses inter graviditatem fluxerint (1), uti etiam ven-

(1) Hip. de nat. pueror. p. 16. Arist. Hist: an. ed Scal. L. VII p. 803.

tris externam circumferentiam tum minus adaugeri. Minoris momenti est eadem observatio in mulieribus mensibus parcioribus aut difficilibus ante conceptionem, cum perinde prava fetus nutritio atque haec mensium conditio unius ejusdemque causae effectus esse possint. Forsan autem partus serotini a moerore matris huc pertinent, cum notissimum sit, quantum tale quid in menstruationem reprimendam valeat.

Ultimum propagationis actum, partum scilicet tangere non audeo, cum pauca tantum phaenomena, neque ea satis constantia, nexum directum aliquem inter hunc et menstruationem demonstrent.

Jam, quum ad disquisitionis finem perventum sit, quae fusius modo exposuimus, his paucis complectamur.

Menstruationis natura in eo cernitur, quod est feminis functio propria, quae a congestione vita genitalium singulari effecta, originem ducens, sub lunae imperio certo typo post quartam quamque hebdomadem redit, et rite quidem absolvitur fluxu sanguinis et cujus finis spectat ad humanam propagationem.

Veniam daturos spero lectores benevolos mihi primum, quod hac in disquisitione vocem menstruationis non satis illam latinam quidem, sed ab omnibus medicis frequentatam saepius usurpaverim, et deinde, quod differentiam, quae est inter notiones menstruationis et fluxus menstrui, non semper stricte observarim.

VITA.

Natus ego sum **Godofredus Fridericus Wiedemann** Numburgi d. VIII. mens. Januar. a. MDCCCXVIII, patre **Friderico Gustavo Wiedemann**, matre **Augusta Friderica Guilelma**, e gente **Eckardt**, quos utrosque parentes, benigno Dei numine mihi adhuc servatos, ex intimo animo veneror. Fidem confiteor evangelicam. Tam in oppido patrio, quam in vico vicino Groebitziensi, ubi ludus literarius pastore **Moellero** duce tum florebat, rudimentis litterarum imbutus, scholam petii Portensem ibique a Cel. Prof. **Wolff**, tunc rectore vicario, inter alumnos receptus sum. Vere a. MDCCCXXXVII Portam reliqui, adiique oppidi patrii gymnasium, unde, rectore Cel. **Foertsch**, testimonio maturitatis instructus, autumnali ejusdem anni tempore Lipsiam me contuli, atque ibi ab Ill. **Steinacker**, t. t. rectore magnifico, in civium academicorum numerum receptus, et apud gratiosi medicorum ordinis Decanum spectatissimum Cel. **Weber** maj. nomen professus, has audivi praelectiones: Cel. **Kneschke** de encyclopaedia et methodologia medica, Ill. **Heinroth** de psychologia, Ill. **Schwaegrichen** de zoologia et mineralogia, Cel. **Fechner** de physice experimentali, Cel. **Erdmann** de chemia, Cel. **Kunze** de botanices et theoretica et practica parte, Cel. **Bock** de anatomia et physiologia universa, Cel. **Weber** maj. de anatomia. Idem mihi dux fuit una cum suo fratre min. in exercitationibus anatomicis practicis.

Vere anni MDCCCXXXIX ad hanc inclytam universitatem literariam Fridericam Guilelmam accessi, ubi ab Ill. **Mueller**, Rectore magnifico, in civium academicorum numerum, ab Ill. **Schultz**, Decano ordinis medici maxime spectabili, in album facultatis medicae receptus sum. Per quinque semestria hic hasce frequentavi scholas: Ill. **Mueller** de physiologia universa et generationis, Ill. **Casper** de pathologia et therapia, Ill. **Juengken** de chirurgia, Beat. **Rust** de herniis et prolapsibus, Cel. **Mitscherlich** de materia medica, Ill. **Wagner** de politia medica.

Exercitationibus clinicis, medicis, chirurgicis, obstetriciis, medico-forensibus interfui virorum illustrissimorum et celeberrimorum **Barez**, **Busch**, **Dieffenbach**, **Kluge**, **Osann**, Beat. **Rust**, **Schoenlein**, **Wagner**.

Quorum omnium virorum pie colendorum egregia de me merita grato animo maximi aestimo, imprimis autem Ill. **Wagner**, qui et opera et consilio me semper benevole adjuvit, gratias ago quas possum maximas.

Hunc per annum, ut patriae pro virili gratias referam, munere chirurgi militaris voluntarii, duce Exp. **Schilling**, in cohorte tormentariorum fungor.

Jam vero, quum tentamina et philosophicum et medicum atque coram gratioso medicorum ordine examen rigorosum snstinuerim, spero fore, ut hac commentatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi rite concedantur.

THESES.

1. In morbis chronicis chronicum remedium.
2. Generatio aequivoca existit.
3. Pneumonia duplex non semper sistit prognosin malam.
4. Vita matris praeferenda est vitae infantis, si tantum alterutra servari potest.
5. Acarus scabiei non est causa scabiei.
6. Oculi pathologia est pathologiae oculus.